

DIVINA AFFULGENTE GRATIA,  
EXERCITIUM ACADEMICUM  
De

# HOMINE MICROCOSMO,

Quod

*Ex suffragio Ampl. Facult. Philoſ. in Regia ad Auram  
Academia,*

PRÆSIDE

## HENRICO HASSEL

Eloquent, Prof. Reg. & Ord.

*Publico honorum, examini modeste, submittit*

### NICOLAUS LANGH

*Smolandus.*

Die XVII. Maji [D. V. An. MDCCXXXVIII.

*loco horisque solitis.]*

---

ABOÆ, Excud. Joh. Kiæmpe [Reg. Acad. Typ.

S:æ R:æ M:tis  
MAGNÆ FIDEI VIR  
*Reverendissime*  
PATER ac DOMINE,

D<sub>N.</sub> G U S T A V E  
A D O L P H E  
H U M B L E ,

S S. Theol. DOCTOR consummatissime, Diœceſeos  
Wexionenſis EPISCOPE Eminentissime, adm. ve-  
nerandi Conſiſtorii PRÆSES Gravissime, florentiff.  
Gymn. & Sch. EPHORE Accuratissime,

MÆCENAS MAXIME;

*C*æteras inter laudes Tuas, Reverentiſſime Pater, hæc cer-  
te non eſt poſtrema, quod literas eorumque ſedulos cultores,  
ſingulari amplecteris favore; de quo ſibi inprimis gratulan-  
tur Smolandi Tui, prout benignioris tanti Mæcenatis in ſe  
affectus

*affectus præ aliis egregia capiunt documenta. Longum foret, & dies deficeret, si hæc merita Tua Reverendissime Pater explicare conarer. Verum non desunt illis sui prædicatores. Nostrum est, animo venerabundo colere, quæ verbis eloqui non valemus. In venerationis autem, quæ Te, Reverendissime Pater, prosequimur indicium, leve hocce munusculum offerimus, submissi rogantes, illud serena fronte excipere digneris. Pro perenni Tuæ Reverendissime Patris incolumitate vota nuncupare non intermittemus.*

REVERENDISSIMI PATRIS

*Humillimus cultor*

NICOLAUS LANGH.

*Maxime Reverende atque Amplissime Domine*

**Dn OLAVE OSANDER,**

S. S. Theol. Doctor celeberrime, Dioceseos Wexi-  
oensis Archipræposite dignissime, & Consistorii vice-  
Præsides famigeratissime,  
Mæcenas propensissime,

*Admodum Reverende & Præclarissime Vir,*

**Mag. SAMUEL ROGBERG,**

Ecclesiæ Frødrydensis Pastor dignissime, ut antea  
Præceptor fidelissime, ita nunc Patrone  
omni affectu colende.

**I**ndolis vestra, Mæcenas & Patroni, benignitas & bene-  
volentiam, vos tenue hocce munusculum porrecta fronte su-  
dota mentis testimonium, erit pignus animi debitorum per-  
cassio, qua ardentissima pro salute vestra vota, qua pio hæcenus  
vix itaque incolumes & felices in seros usque annos super-  
vum vivite bea-

**Max. Reverend, Admod. Rev. Præclariss.**

*Observantissimus & ob-*  
**NICOLAUS**

*Admodum Reverendi & Praclarissimi Viri,*

**Domini MAGISTRI,**

**In Reg. Gymnasio Wexionensi S. Theol. & Philos.**

**Lectores dexterrimi,**

**Patroni & Promotores, omni honoris  
cultu prolequendi.**

*Vir Spectatissime*

**Dn. DANIEL STOCKE,**

**Liquidationum in supremo Gothorum tribunali Cō-  
missarie integerrime, ut antea Nutritie liberalissime,  
ita nunc Patrone certissime.**

*sciorum mihi praestitorum cumulus, spem mihi faciunt indu-  
cepturos fore. Erit hic ingenioli mei immaturus foetus de-  
perno memoris, & ad obsequia quavis paratissimi. Erit oc-  
ceptore laetiarum, in publicum nobis liceat proferre. Sal-  
stites maneat, & post absolutam hoc vita curriculum ater-  
ti! Sic vovet*

**& Honoratiss. Nominum Vestrorum,**

*Strictissimus cultor*

**LANGH.**

Handelsmannen i Stapelstaden Carlshamn;  
Åhreborne och Högwälschtade

Herr FUHLMO MÅNSEDN /

Min Högårade Morbror.

**S**är jag med slit bejer den wård och kärlek stora/  
Mig ömnoget ertedd är af Ehr min Morbror kär  
I hela lefnad min; hur kan jag då förlora  
Uhr sinnet mitt en pant / den jag Ehr skyldig är?

Reit / fast förmågan min mot willjan ej månd swara /  
I thy jag aldrig kan rätt prisa Eder gunst;  
Så skal doch bli min lust / at stadsje sammanpara  
Et tackjamt hierta med min wördnads fulla brunst.

I kraft hwaraf jag nu för Eder lägger neder  
Min ungdoms första prof / som kortast wisa skal  
Den likhet / som här röns emellan menskians leder /  
Structur, beskaffenhet / och wida werlden all.

Hwad likhet man uti de tre naturens rike  
Och lilla werlden har / här någorlunda ses;  
Och hwaruti de å hwarannan helt elike  
Allt til den Högstas lof och åbro här frantes!

Tag därför gunstigt up min Morbror kär / jag beder/  
Min pappers-gäsiwa med ett wälbewägit sinn  
Mot den / som önska skal / at stadig wälgång Eder  
Må följa tills I gån i himla frögden in!

Högårade Herr Morbrors

Hödmilte tlenare  
NICOL LANGH.

*Integerrimæ fidei Vir,*  
Dn. CAROLE MAGNE SIERCKEN,  
Mercator Aboënsis florentissime, Fautor & Nutritus  
liberalissime.

*Vir honoratissime*  
Dn. PETRE BOHMAN,  
Civis Wexionensis optimæ fidei, Parens,  
indulgentissime.

*Integerrime Vir*  
Dn. JOHANNES LANGH,  
Mercator Wexionensis honoratissime,  
Frater conjunctissime.

**O**pusculum hoc tenet in obsequii, debite observantia &  
grati animi pignus dat, dicat, dedicat,

Nominum Vestrorum

*Cultor, filius & frater obser-*  
*vantissimus*

A. & R.


Pereximie atque Prestantissime  
Domine RESPONDENS,

**P**ostquam audivi Te publice disputaturum fore, non potui mihi temperare, quin voluptatem, quam ex Tuis progressibus capio, tenui licet & immatura Minerva indicem. Exigit hoc amicitia illa, que inter nos coaluit, dum studiorum meorum moderator eras fidelissimus. Tanto autem magis letor, ex quo cognovi Te non vulgare & tritum aliquod elegisse argumentum, quo ingenii vires exerceres, sed minus obvium, elegans & simul jucundum. Quid enim innocua magis voluptate animum perfundere potest, quam consideratio convenientiæ illius, quam homo cum ipso habet mundo. Materiam hanc ita pertractasti, ut non minus doctrine Tue philosophicæ, quam facundiæ dederis documentum. Gratulor itaque Tibi & ingenium & eruditionem, & publicum hoc utriusque specimen, pariterque opto velit supremum Numen Tibi quævis fausta & felicia largiri! vale

Tui

Studiosissimus  
JOH. ADOLPH. CLODT  
von Jürgensburg.





## PRÆFATIO.

**A**Nimum nostrum, quem vix cœlum capit, in sesquipedali terræ gleba captivum tenere velle, indignitas est, imo iniquitas. Univerſus orbis communis nostra patria erit, commune domicilium. Hinc non ſunt laude ſua defraudandi illi, qui cum, ſaribus paternis ad tempus relictiſ, admiranda di-verſarum nationum ſcrutantur, mores lima peregrinationis expolunt, omniaque, quæ vident, quæ audiunt, laudanda, in ſuccum & ſanguinem convertunt. Sed rari hi ſunt inter peregrinantes. Plerique enim e peregrinatione reduces nil niſi peregrina omnia, mores, geſtus, veſtes, linguam, vitia domum reportant. Neque inuſile dixerim illis, qui corpo-

re nondum peregrinantur, animi causa animo interdum peregrinari, & cogitationum velis orbem emetiri. Verum, si penitiores animi recessus mihi sint explicandi, neque hæc magnopere conducit aut laudanda est peregrinatio, nisi domum tuam antea cognitam tibi habueris. Domi est quod quaris. Subtilli artificio & compendiose omnino Deus Creator, non hominem modo mundo, verum etiam mundum homini inclusit. Turpe est alia scire, seipsum vero nescire. Hinc consultum maxime est cuique domi habitare, peregrinari domi. Pandit certe ipsa hominis natura tale spectaculum, ut seipsum intente considerare dignissima sit hominis occupatio. Pagellæ, quas vides B. L. microcosmum hunc ut macrocosmi quandam imaginem sistere conabuntur, rudi fateor, & ab aliis supplenda opera; sed facit materię dignitas, Tuæque humanitas, ut excusationem ausui meo innocuo paratam me inventurum sciam.

## §. I.

**D**Um hominem microcosmum, & mundi com-

compendium esse ostendere volumus, non hoc  
 agimus, ut Paracelsistis frigidam suffundamus,  
 qui docent, hominem esse naturaliter medi-  
 um mundum inter cœlestem & elementarem,  
 omniaque quæ in illis realiter inveniuntur, cum  
 spiritali modo possidere, cum particeps utri-  
 usque sit (\*); sed solum innocue illam, quæ  
 homini cum macrocosmo revera est convenien-  
 tiam, exhibere conabimur. Atque si tum corpus  
 nostrum primum contemplari lubeat, transeo  
 communes materiæ affectiones, quas humano  
 quoque corpori competere quisque videt. Ta-  
 ceo omnes actiones, effectus, mutationes, tam  
 in corpore microcosmico quam macrocosmo  
 per motum fieri. Si vero antiquitatis fueris a-  
 mator, & obsoleta etiam quatuor elementa cor-  
 puscularia in exiguo tuo mundo requisiveris,

A 2

colo-

(\*) Walchens Philosphisches Lexicon voce  
 Microcosmus. *Quia cœlum & terra hominis  
 pater sunt, necesse est, ut omnem quoque illorum  
 naturam, portionemque in se contineat, & ne-  
 quidem pilo unico careat.* Theoph. Paracel. Pa-  
 rag. alterius tr, I.

calorem nativum, qui ignis, spiritus animales, qui aeris, humores, qui aqua, vasa continentia, quæ terræ vicem sustinent, in corpore tuo facile invenies. Visi quidem sibi sunt Hermetici in corpore nostro videre ordine itellas tam fixas quam erraticas, singulas in singulis membris, quas Archæos vocarunt, & hos archæos specifica membri, cui insident virtute tinctos esse dixerunt. Itaque secundum illos planetæ essent archæi viscerum principalium, cordis, qui soli, cerebri, qui luna, pulmonis, qui mercurio, hepatis, qui Jovi, renis, qui veneri, splenis, qui Saturno, felle, qui marti responderent. Stellæ fixæ essent archæi reliquorum membrorum minus principalium (\*). Nos vero non sumus adeo lyncei, ut possimus aliquam inter hæc membra & astra detegere convenientiam. Globus noster terraqueus erit præcipuus nostræ considerationis scopus. Hic ut sphericus est, ita quoque plerasque corporis

(\* ) Nollii prodromus Physicæ Hermeticæ p. 30. Theoph. Paracelsi in scriptis passim, præc. Paradoxorum T. I. tract. 3. Cap. 7.

poris humani partes ad sphericam figuram inclinare deprehendes. En Oceanum! inquires, dum in corde continuum fluxum & refluxum deprehendis. Idem innumeris lacubus annibus fontibusque, viscera puta, venas & arterias, humores mox addit mox subtrahit. Vento hæc omnia agitantur, dum affectus aliquis vehementior animam corpusque occupat. Meteora in corpore nostro constituunt omnes flatus, inflammationes, catharri & vapores, quibus sæpiuscule vexamur.

§. II.

**L**UBET ulterius progredi, & tria naturæ regna ordine producere, quo ita convenientia corporis humani cum iis quodammodo pateat.

Primum est minerale, basis globi nostri terræ & fulcimentum. Cujus officia in corpore nostro ossa egregie administrant. Salia in nobis reperiri nemo negaverit. Neque desunt in exiguo hoc mundo, quæ mineralibus venis in macrocosmo respondeant, renes præcipue, & vesica, lapicidinæ, quæ non lucrum quidem, sed opum profusionem, immentos dolores,

res, laboremque æqualem, immo gravio-  
illo, quo ad metalla damnati premuntur, pos-  
sessoribus suis pariunt. Verbo dicam: corpus  
hoc, cui saginando poliendoque totos dies &  
vitæ annos impendimus, quale putas? Terra  
est. Terram gerimus, terimus, & in hu-  
mum atram brevi convertemur.

Magna quoq; est corporis humani cum regno  
vegetabili convenientia. Neq; male *radicem plan-  
tae* caput humanum, *truncum* corpus, *ramos* bra-  
chia pedesq;, *corticem* cutis, *nodos* ossa, *medullam*,  
cor repræsentant. Circulatio eadem utrobique hu-  
morum, eadem fragilis elegantia. Vices æta-  
tum, morborum, vitæ mortis eadem. Præ-  
postere solum *planta hæc cœlestis*, homo, utor  
Philonis verbis, plantata est, ordineque inverso,  
cum caput radix, pedes summitas sunt; unde  
jam olim Platoni Aristotelique *homo planta in-  
versa* audivit. Sed multo magis præpostere vi-  
ta instituitur, quamvis alimenta incorruptibilia  
cœlitus quærenda nobis destinaverit creator.

Sed cum regno animali homo, ipse animal,  
maximam habet congruentiam. Partes omnes,  
quas

quas corpus humanum ostentat, etiam anima-  
 lia perfectiora possident. Neque imperfectiori-  
 bus fuit absimilis, dum sub insecti specie in  
 femine paterno primum delitescerat. Quoad  
 corporis dotes superamur in multis ab animalibus.  
 Cutis nitiditas, & faciei mira varietas  
 in homine singularia sunt. Sermone quoque ar-  
 ticulato & conceptus mentis exprimente a reli-  
 quis animantibus differt. Utinam vero natu-  
 ram animalium brutorum, eorumque propen-  
 siones naturales nimis feliciter non exprimerent  
 plerique mortalium! Sensibus, imaginatione,  
 memoria, aliquo modo etiam pollent bruta;  
 hæc tamen facultates in homine longe sunt per-  
 fectiores, qui nihilominus eheu! raro e gle-  
 ba sua prorepat, raro ad rationis dictamen re-  
 spicit. Hinc, ut conchylia omni alio sensu,  
 quam cibi & periculi, carent; ita ad hone-  
 sta & surda & cæca, voluptati vero tantum  
 addicta est maxima pars mortalium. Reperies  
 inter homines omni vulpe, polypo & sepia  
 fraudulentiores, cane magis quovis invidos, om-  
 ni leone truciores. Vides hæc unum cœno,  
 suam

ium more, volutari. Adjacet lateri erinacei æmulus, somno ætatem terens. Ab altera parte incedit superbis passibus pavo, cristamque erigit. Quod si facies humana similitudine accesserit ad speciem aliquam brutorum animalium, inde posse naturales ejus hominis mores colligi, sunt qui putent (\*). Neque fortassis injuria; suspecta quippe facies animum suspectum plerumque occultat. Illud extra dubitationis positum est aleam, quod diligentior naturæ animalis, quæ in brutis simplicior sistitur, consideratio, non modo diætæ nostræ regulas suppeditaret plane egregias (\*), verum etiam ad virtutem vel erubescendo nos cogeret.

Denique observatu non indignum judicaverim, quod sanitatis humanæ maxime interfit, quantum unquam fieri potest, harmoniam inter macrocosmum nostrumque corpus custodire, ne

animi motus nervulorumque actiones vicissim

(\*) Cfr. omnino Wolfens Bern. Gedanken von der Menschen thun und lassen S. 9. 217.

(\*) Vid. Disp. de Diætâ studiosorum hæc Apor ante nonnullos annos habitam.



vices rerum extra nos positarum, climatis, aëris, anni tempestatum &c. nimis corpus nostrum enervent aut debilitent. Non tamen eo usque extendenda est hominis cum rebus naturalibus convenientia, ut credamus illa omnia, quæ similitudinem quandam corporis humani vel membrorum ejus referunt, mox ideo nobis conducere. Quamvis concedamus nonnulla specierum membrorum nostrorum referentia, esse iisdem membris specifica, illud tamen non vi *signaturæ*, ceu loquuntur & putant Hermetici, fieri dicendum est.

### §. III.

**E**o usque sese extendit solertia humana, ut non modo orbem intra exiguæ chartæ spatium coegerit, verum alia etiam admirandæ subtilitatis ususque artificia & machinas construxerit, quibus jam vel enumerandis vix universa hominis unius ætas sufficeret. Varie formatis, politis combinatisque rebus naturalibus, mundum quasi alterum artificialem excitavit genus humanum. Sed reperiabantur hæc artificia instrumentaque fere omnia jam antea in

**B**

corpo

corpore humano a creatore reposita, quæ occasione homini similia extra se producendi, si non dederunt, saltem dare potuissent. Machina est corpus humanum, ex innumeris machinulis, singulis ad fines suos directis, stupenda arte coagmentata. Hæc corpus, si abessent etiam reliquæ res creatæ, quæ singulæ de perfectionibus divinis testimonium perhibent, solum, quid? vel hæc manus sola, etiam abunde de summa creatoris sapientia nos convinceret. Quis digne laudare potest divinam curam in homine condendo adhibitam? Quis partium organici nostri corporis numerum inire, quis ordinem partium elegantissimum, & ad exquisitissimæ architecturæ regulas exactum, iuste deprædicare valet? Semper ibi proportio, semper elegantia observata. Quis unquam satis miratus est *cribrum* hoc, corpus puto nostrum, subtili materiæ undiquaque pervium, & quisquillas per insensibilem transpirationem excernens? cuius continuæ exhalationes atmospheram quasi hominis constituunt. Quis machinas & instrumenta, pneumatica, hydraulica, mecha-

chànica, chymica, fabrilia, oeconomica, reli-  
qua? quis cameras obscuras, incudes, stapedes,  
molas, vasa destillatoria, clavos, funes, tro-  
chleas, vectes? quis alia innumera in corpore  
nostro adumbrata, vel accurate enumerare, ne-  
dum plene intelligere potuit? Scias, non esse  
*hominem tumultuarium* & *incogitatam opus*. In-  
*ter maxima rerum suarum, natura nihil habet,*  
*quo magis gloriatur, aut certe cui gloriatur (\*).*

§. IV.

**M**AGNA hæcenus vidimus; illa vero, ad  
quæ jam pedem promovemus, multo e-  
runt majora. Videbimur certe nobis jamjam,  
quasi ab arenosa Lybia ad cultissimam Europam  
microcosmi nostri delati. Dedit Deus homini  
sensus, quibus rerum mundanarum affectiones  
excipere, microcosmo suo inferere, & ad Ani-  
mum deferre potest corpus. Cerebro etiam i-  
deas materiales objectorum qualescunque impri-  
mi necesse est. Perfectissimus sensuum est visus,  
dum in oculi fundo, tunicaque ejus retina,  
per radios lucis in humore chrySTALLINO fractos,

B 2

res

(\* ) Seneca lib. VI, de benef. C. 23.

res quælibet vivide & mira celeritate repræsentantur. Dicas hominem orbem, majori quam apellea arte, *pictum*, in oculo gerere, licet statum tantum mundi præsentem exhibeant, & eadem celeritate, qua oriuntur, rursus dispareant, evanescant & aliis repræsentationibus locum relinquunt hæc phantasmata. Quid dicam de imaginatione fida illa idearum per sensus externos excitatarum custode, quæ statum præteritum, quoties lubet, reproducit, memoriæque ope agnoscendum sistit? Præterea ideas varie augendo, æmputando, combinando, novum sibi mundum imaginarium quotidie effingit. Mundum merito vocamus harum ab imaginatione productarum idearum complexum; cum sit non modo inter se connexus, unaque idea producente aliam; verum hæc quoque respectu animæ nostræ similitudinem quandam exhibent dependentiæ rerum creatarum a creatore. Scilicet: quæ antea non aderant, & cogitatione producimus pro lubitu, & quousque nobis libet, per vim animæ præsentia retinemus, quamvis actualitatem illis extra

extra animam dare non valeat potentia nostra (\*). Et sic anima, dum superiorum & interiorum facultatum ope in mundo pro statu corporis sui organici representando versatur, imitatur suo modulo creationem. Super abyssum cogitationum & experimentorum nostrorum fertur & volitat ratio nostra. Unde emergit illa mentis nostræ, illa mundi filia, rerum divinarum humanarumque scientia, quam in nobismet ipsis primum reperimus, non dum quidem figuratam, sed mundo, qualis in chaos suo fuit, similem. Dum vero confusa discutimus, distingvimus, dum quamvis rem notatam suo nomine, suo positam naturali ordine exhibemus, lucem quasi animæ nostræ in suo systemate accendimus.

§. V.

**N**imis abjecte de anima nostra sentiremus, si has ejus occupationes intra globum hunc, quem incolimus, restringeremus. *Super sum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem*

*ant-*

(\* ) Digna est §. 1053. in *Wolfens Gedanken* von Gott / der Welt &c. qua conferatur.

animus admittitur (\*). Nam astra quoque in cogitationum suarum gyrum rapit, eorum naturam & conditionem sedulo considerat, eorumque cursus etiam post multa secula futuros cursu suo velocissimo antevertit. Tum terrarum orbem superne despiciens, sibi ipsi ait: hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igne dividitur. O quam ridiculi sunt mortalium termini! (\*) Immo, quod palmarium est, ad Deum ipsum magna sed pia audacia ascendit, infinitaque ejus naturæ attributorumque cognitionem, inadæquatam quidem, sed ad convincendam animum nostrum de illius excellentia, sufficientissimam, intra finitos suos conceptus qualitercunque cogit. Ex rerum denique natura & nexu, item ex perfectionibus divinis, motiva sibi desumit anima, quibus adducta virtutes elegantissima serie exhibet, continuoque in iis progressu ad perfectionem tendit.

§. VI.

**I**Ta vidimus, non modo corpus nostrum scul-

ptum

(\*) Seneca *praef. lib. 1. Nat. qu.*

(\*) *Ibid.*

pruni quasi referre mundum, verum etiam  
 oculum velut in speculo & pictura illum exhibere.  
 Vidimus ideas rerum mundanarum materiales cerebro impressas, animumque nostrum non presentibus modo rebus inhaerere, sed etiam modo ad praeterita respicere, modo futura praevidere; non modo globum huncce, sed sidera etiam eorumque systemata, immo ipsam divinitatem qualitercunque ideis suis exhibere, tandem vidimus; unde quadruplici nomine microcosmi nomen qui gerat, dignus est homo. Superesset, ut ageremus de illis futuri seculi & alterius mundi deliciis, quas homines diviniore afflata aura jam hic clausas gerunt pectore; deque illa microcosmi nostri summa dignitate, statuque ejus plane novo, quem intimiori cum creatore unionem & novae regionis occupatione brevi obtinebit, dum terrena crassitie & planetari opacitate inconstantiaque liberatus microcosmus, solis naturam induet, meliori multo quam hodie insertus systemati. Sed sunt haec mysteria, quae sola revelatione innotescunt, eamque ob causam ad forum philosophicum non pertinent.

Nos

Nos manum de tabula. Sed audiamus iterum, si placet, Senecam (\*): *Quicquid nobis negatum est, dari non potuit. Proinde quisquis es iniquus aestimator, sortis humana, cogita, quanta nobis tribuerit parens noster: quam nihil sit mortale, non sub ictu nostro positum. Tot virtutes accepimus, tot artes, animum denique, cui nihil non eodem quo intendit, momento pervium est. Circumias licet cuncta: Et quia nihil totum invenies, quod esse te mallet, ex omnibus singula excerpas, quae tibi dari velles. Ita bene aestimator naturae indulgentia confitearis necesse est, in deliciis te illi fuisse. Magna accepimus, maiora non cepimus.*

(\* ) Lib. 2. de benef. c. 29.

S. D. G.

